

Danilov E.S., Slednikov A.G

Quid cives Romani de tranquillitate animi senserint

[Stable URL: <http://elar.uniylar.ac.ru/jspui/handle/123456789/2185>]

[Публикация работы:]

Danilov E.S., Slednikov A.G. 2011: Quid cives Romani de tranquillitate animi senserint // Аристей. Т. 3., 11-16.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

E.S. Danilov et A.G. Slednikov

QUID CIVES ROMANI DE TRANQUILLITATE ANIMI SENSERINT¹

Multo labore Europae incolae humanitatem suam elaboraverunt, cuius sunt tales partes quae hac aetate universo hominum generi prosint. saecula exierunt, donec cum Europaei tum Russi non tantum summam humanitatis illius dignitatem perceperunt, sed etiam, quomodo quaedam eius partes cum Romae antiquae usu vivendi atque cum eius imagine per traditionem nobis residua coniuncta sint, intellexerunt². inter talia adepta aeterna *securitatem* dicamus.

Hanc vocem penitus menti Romano infixam esse putamus. libertas a metu amitendi vitam ac possessiones cuilibet civi idem erat ac solida et inconcussa securitas (*Vell. Pat.* II. 89. 4; *Sen. De benef.* VI. 28). etsi capitis periclitari militis Romani fuit, tamen eius fortitudinem ratio ac cautio temperabant (*Joseph.* B.J. V. 7. 3). quod ad rem Romanam attinet, omnibus in optatis fuit securitas publica (*Tac. Agr.* 3).

Nos autem non securitatem publicam omnimodis divulgandam³ enarraturi sumus, sed securitatem animi vero intimam, animum scilicet aequum eiusdemque condiciones et composita. *quae est enim ista securitas* (*Cic. Amic.* 47)?

¹ Статья подготовлена в рамках Госконтракта № 16. 740. 11. 0104 на выполнение научно-исследовательских работ по теме «Античная цивилизация: политические структуры и правовое регулирование»; при поддержке РФФИ, грант 10-06-00140-а «Системный анализ античной государственности на основе информационных подходов и создания проблемно-ориентированных баз данных».

Gratias plurimas maximasque agimus *Prof.ri D.ri Alexandro Podosinov*, qui benevole nos in consortium admisit, ac *D.ri Alexio Scatebrano Ruteno* (qui et *Solopov*) et *D.rici Irenae Ulianova* ob propitium adiutorium commentationis componendae.

² Кнабе 2010: 6, 89.

³ Vide Hartmann 1921: 1000–1003; Wirszubski 1950: 158–159; Knepp 1994: 217–281.

Securitas publica sine consensu concentuque fieri non potest (*Cic. Rep. II. 69*). securitas animi quidem caput est ad beate vivendum (*Lucr. II. 1–6; Cic. Amic. 45*)⁴. ac tamen non is securus est, qui nihil negotii habet (*Cic. Nat. D. I. 102; M. Aur. Med. IV. 24*), sed qui contra aegritudinem et metum in praesenti atque in futuro munitus est (*Cic. Tusc. V. 42*). aegritudinem exuere potest, qui animi corporisque virtutibus praeditus est (*Cic. Fin. V. 37*), felicitas enim in sola virtute posita est (*Cic. Par. stoic. I. 3*)⁵. homo inhonestus infirmitatem animi dolet (*Cic. Par. stoic. V. 1*); infirmitas anxietatem cordi gignit (*Lucr. VI. 9–19*). qualicumque tamen anxietate mors liberat.

Spectemus igitur exempla tranquillitatis in Romanorum sepulcris tradita.

Aetate rei publicae etiam exeunte, cum instituta eius moresque corrumperebatur, vita defunctorum activa sepulcrorum titulis aestimabatur. quo illic instituta rei publicae et mores plus plusque corrumperebantur, eo magis sensus privati apparebant. sunt tales tituli a saeculis I^o et II^o p. Chr. n., quorum scriptores cives modesti et amici certi et patres familiarum pii. de sex inscriptionibus monumentorum⁶ hic disputaturi sumus, in quibus non privatim appellantur defuncti, cum praecipue agatur de beatitudine ac tranquillitate animi.

1. D(is) M(anibus) / Sex(to) Pomponio / Tychiano / filio [dul]cissimo / et pientissimo qui / vixit ann(is) XIII diebus / XXXI Securitas mater (CIL 06, 24648).

2. Eris securitas soporanti<um=ON> / munimen domorum tutela claustrorum disc<u=O>ssor obscurus arbiter / silentiosus cui fallere insidiantes / fas est et decipere gloria (CIL 08, 02297).

3. La[mp]adius / Secu[r]itas / M[arg]arita / fid[eles in p]ace (CIL 08, 13751).

4. Mun[icip]ium // Pax // Feli/cit(as) // M/ACILI(?) // Secu/rit(as) // Iuve/nt(us) (CIL 09, 06087,1).

5. Fl(avius) Ursus strator / fuisset(!) in re{m}tribu(tione) / vixit an(nos) XXVIII <et=O> m(ense)s VI / in (a)eterno securitas // frater Eraclius fecit (ICUR–06, 15810 = ILCV 01632).

6. Ursus et Securitas parentes fi/lío Achileo b(e)n(e) m(erenti) q(ui) vix(it) ann(os) XIII / pace (ICUR–08, 22305 = ILCV 02700).

⁴ Tranquillitas animi, in qua iam Democritus vitae exemplar posuerat (Diels, A 167 – εὐθυμία), a multis postea philosophorum scholis postea praedicabatur. sic e. g. Hieronymus peripateticus tranquillitatem censebat finem vivendi propositum esse (*Clem. Al. Strom. II. 21* – εὐθαιμονία). Sextus Empiricus deinde temperantiam tranquillitatis partem facere aestimabat (*Sext. Emp. Pyr. I. 10* – ἀταραξία). omnia modice agendo, denique, ex sententia Senecae Stoici, animi magnitudo acquiratur, qua ad securitatem et perpetuam tranquillitatem perveniatur (*Sen. Ep. XCII. 3*).

⁵ Confer quae in hoc conexu Vilhelmus von Humboldt scripsit: “Die alten suchten die Glückseligkeit in der Tugend, die neueren sind nur zu lange diese aus jener zu entwickeln bemüht gewesen”. (Humboldt).

⁶ Vide <http://www.manfredclauss.de>; Epigraphik-Datenbank Clauss/Slaby.

Vidimus igitur principales notitias tranquillitatis post mortem adipiscendae gratia coniunctionem deorum manium et phantasma somnorum et pacem animi et in aeterno securitas, scilicet requiem fuisse. sollemnibus funeris deificis celebratis defunctos dis manibus iungebant⁷. natura et mors per se gradus securitatis habebantur⁸. post mortem anima somno purgatorio cum mergetur, ab omni cura ad aeternitatem ducetur⁹.

Mors est extrema via metus vincendi. ut hic etiam in vivendo vincatur, varias sapientes antiqui rationes elaboraverunt, cum cognitioni naturae metus operam dederunt (*Arist. Rh.* 1382a–1383a10). quaerentes ipsi in opinionibus plerumque contrariis fuerunt: aut bonis, aut malis (*omnes timori servimus* – *Macrob. Sat.* I. 11. 9).

1. maxima metus causa est, quod non ad praesentia aptamur, sed cogitationes in longinqua praemittimus (*Sen. Ep.* V. 8).
2. nemo est munitus satis contra inopiam, contra morbum, contra quae per vim potentioris eveniunt (*Phaedr. Fab.* II. 6. 1–3; *Sen. Ep.* XIV. 3).
3. si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat eventurum utique propone (*Sen. Ep.* XXIV. 2). medita mortem (*Sen. Ep.* XXVI. 10).
4. ama tenuitatem, quae est tranquillitatis mater (*Babr. Myth.* II. 160). magnae periculo sunt opes obnoxiae (*Phaedr. Fab.* II. 7. 13–14).
5. vita meliore magis in secessu fruire, quam in promptu (*Sen. Ep.* X. 1; *Tert. De pallio* V. 4).
6. qui in philosophiam recedet, intrepide potest vivere ac secure (*Sen. Ep.* XVI. 3, CIII. 4). philosophia viam securitatis et beatitatis dat (*Sen. Ep.* XXXVII. 3).

Securitatis ratio illic habenda cuilibet civi Romano fuit cum dignitate (*Cic. Fam.* I. 7. 10, III. 10. 1, VII. 3. 1, XV. 1. 6; *Att.* X. 8. 5), ne exsistat discrepantia officii et voluntatis. nam virum in media re publica versantem decuit tranquillitatem suam vovere pro salute patriae (*Cic. Att.* IX. 4. 2), pro amicitia (*Cic. Amic.* 47), pro fama sui optima¹⁰. quilibet vir clarus et honoratus metum opinionis communis atque timorem dedecoris habuit. qua de causa sequendi fuerunt ritus communes moresque patrum.

⁷ Vide Шайд 2006: 82, 168; Kolb, Fugmann 2008: 11.

⁸ Confer *Sen. Ep.* XXII. 16: Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur quam nascitur; nunc vero trepidamus cum periculum accessit, non animus nobis, non color constat, lacrimae nihil profuturæ cadunt. Quid est turpius quam in ipso limine securitatis esse sollicitum?

⁹ Confer *Cic. Tusc.* I. 92: alteri nulli sunt, alteros non attinget. quam qui leviores faciunt, somni similitudinem volunt esse: quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum saxaginta confecerit, reliquos dormiat; ne sui quidem id velint, not modo ipse. Endymion vero, si fabulas audire volumus, ut nescio quando in Latmo obdormivit, qui est mons Cariae, nondum, opinor, est expectatus. num igitur eum curare censes, cum Luna labore, a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur? quid curet autem, qui ne sentit quidem? habes somnum imaginem mortis eamque cotidie induis: et dubitas quin sansus in morte nullus sit, cum in eius simulacro videas esse nullum sensum? Vide ultra *Cic. Sen.* 81, *Verg. Aen.* VI. 278; *Ovid. Am.* II. 9a. 17.

¹⁰ Vide Немировский 1964: 149–151; plura apud Freyburger 1986.

Est alicuius momenti, quosdam nobiles Romanos se extremo saeculo I^o ante Chr. n. e medio amovisse. Dr. Helgo Breikin in hoc conexu censet talia facta perversitatem morum demonstravisse¹¹. amotio e medio, sicut ait ille, securitati privatae ac otio litterato erant. sed tamen in investigando tria nostra opinione menda vir doctus facit. primum reponendum, neminem civium Romanorum socialium natura e medio se omnino amovere potuisse. deinde dicendum, graviolem dignitatem civilem quam securitatem mentis Romanae fuisse. vita secura, impotentiae, scilicet et exsiliu indicium, optimatibus industriis dolorem efficiebat (*Cic. Fam. I. 7. 8, VII. 3. 1, XIV. 3. 3*). postremum addendum, otium non in causa decessus de foro fuisse, sed in consecutione. exemplo Epicureorum doctrinae illiberalis est D.ri Helgoni Breikin vita Titi Pomponii Attici satis tranquilla. non autem animadvertit haec: mens actusque Attici vitioso more civitatis Romanorum extrema aetate rei publicae effici potuerunt. Nepos scribit adulescentulum Atticum propter affinitatem Publii Sulpicii, tribuni plebis interfecti, coactum fuisse, ut Roma decesserit (*Nep. Att. 2*)¹². annis iuvenibus non potuit ad honores adire. itaque complures annos in Athenis moratum, cum, eques genere, et rei familiari tantum operae dederit, quantum non indiligens debuerit pater familias, et omnia reliqua tempora aut litteris aut Atheniensium rei publicae tribuerit. nihilo minus Pomponium et ad comitia amicorum ventitavisse, et, si qua res maior acta sit, non defuisse (*Nep. Att. 4*). pace secuta Romam postremum rediit atque in optimam partem moveri existimabatur, cum multorum consulum praetorumque praefecturas delatas accipiebat (*Nep. Att. 6*). Nepos illic animadvertit Atticum honores non petiisse, quod neque peti more maiorum neque capi potuerit conservatis legibus in tam effusi ambitus largitionibus neque geri e re publica sine periculo corruptis civitatis moribus. ne censeatur igitur Titus Pomponius Atticus in otio ‘morem maiorum omnino rupisse’, sed putetur plurimorum hominum abscessioni a more maiorum intercessisse. in rebus minimis occupatus nec securitatis suae, nec metus, nec quaestus causa, multum cum pecunias Marco Bruto et aliis nobilibus praestaret, sed officii studiose accurateque faciendi fuit.

Cum de securitate quasi praeferenda agatur, exemplo magis proprio est nobis vita Marci Claudii Marcelli, alterius Ciceroni aequalis consulisque anno LI^o ante Chr. n. bello civili ineunte, ut Caesaris adversarius, a Roma fugerat, dum Pharsalico proelio facto Mytilenas habitabat, iisdem in studiis artis rhetoricae atque philosophiae vitam agebat. anno XLVI^o frater eius dictatorem exoravit, ut Marcellus in patriam rediret. qui Romam navigando pugione percussus est (*Cic. Fam. IV. 12. 2*). alicuius momenti in hoc conexu sunt Ciceronis verba, quibus esset Marcelli virtutis in minimis suas res ponere, qua de causa opes et dignitatem suam teneret (*Cic. Fam. IV. 9. 3*). si

¹¹ Брейкин 1992: 87.

¹² Confer *Liv. V. 6. 5*: hanc ipsam [tribunitiam] potestatem non in umbra nec in tectis maiores [creaverant].

nobilitates seditionibus civium aetate rei publicae de foro decedere maluerant ac vitam per otium litteratum transmitters solitariam, mirum, ni aetate imperii ut vocant promotioris vitae societas immaculate gerebatur. in opere, quod “Expositio totius mundi et gentium” inscribitur, de Roma saeculo IV° p. Chr. n. sine digressionem a proposito haec narrantur: Senatus hic magnus est ex viris illustribus compositus. senatores, si plus quaeruntur, aut in magistratu omnes sunt, aut magistratum capturi; tamen quidam ex senatorum, quibus potestas magisteria est, illam neglegunt, ut copiis potentes otientur (Expositio 55).

Itaque fuit tranquillitas animi non tantum abstractum argumentum, quae plerisque Quiritium deliberanda et cotidie exspectanda fuerit, sed etiam effectus religiosae vitae evidens, alternatio fori, comes otii litterati, fortuna mortuorum.

РЕЗЮМЕ

В римском гражданском коллективе существовало понятие о комплексе общественных добродетелей (*Aequitas, Clementia, Fides, Libertas, Pietas, Virtus*). Они служили нравственными ориентирами в политической деятельности. Некоторые общественные добродетели были одновременно и личными качествами. Статья посвящена особенностям понятия *Securitas* как идеала спокойствия, невозмутимости, безмятежности духа.

Ключевые слова: Римское общество, безмятежность духа, страх, досуг

TRANQUILLITY OF THE SOUL IN THE INTERPRETATION OF THE ROMAN CIVILIANS

E.S. DANILOV, A.G. SLEDNIKOV

There was a concept of the complex of public virtues (*Aequitas, Clementia, Fides, Libertas, Pietas, Virtus*) in the Roman civil society. They were moral marks in politics. Simultaneously, some of public virtues served as private traits. The article deals with peculiarities of *Securitas* as an ideal of serenity, calmness, tranquillity of the soul.

Keywords: security, tranquillity of the soul, fear, leisure

ЛИТЕРАТУРА

- Брейкин О.В. 1992: Мораль древнего Рима (VIII–I вв. до н. э.). Саранск.
Кнабе Г.С. 2010: Современная Европа и ее антично-римское наследие. М.
Немировский А.И. 1964: Идеология и культура раннего Рима. Воронеж.

- Шайд Дж.* 2006: Религия римлян / Пер. с франц. О.П. Смирновой. М.
- Hartmann L.M.* 1921: *Securitas* // RE. Hb. 3. Rh. 2. Stuttgart.
- Humboldt W.* v.: Ideen zu einem Versuch, die Grenzen der Wirksamkeit des Staates zu bestimmen <<http://www.dreigliederung.de/gliederung/humboldtsideen.html>>.
- Freyburger G.* 1986: *Fides. Étude sémantique et religieuse depuis les origines jusqu'à l'époque augustéenne.* Paris.
- Knepp A.* 1994: *Metus temporum: zur Bedeutung von Angst in Politik und Gesellschaft der römischen Kaiserzeit des 1. und 2. Jhdts. n. Chr.* Stuttgart.
- Kolb A., Fugmann J.* 2008: *Tod in Rom. Grabinschriften als Spiegel römischen Lebens.* Mainz am Rhein.
- Wirszubski Ch.* 1950: *Libertas as a political idea at Rome during the late Republic and early Principate.* Cambridge.